

# OVATIONES

CHARLES ZABROWSKI

Primum honorem virum saepe postremum commemoratum—quamvis in ordine collegarum nominis gentilis causa, non in cordibus nostris propter affectus segnes—verum alumnus regionis nostrae, doctissimus, moris antiquissimi, qui solet erudire notabiliter ornatus in vestitu praeceptoribus studiorum classicorum aptissimo. Nutritus in ultimo municipio quinquies locupletis urbis, educatus in academia celebranti gloriam Regis, adeptus est gradum Artium Baccalaurei prope dissilientes aquas, caras novis coniugibus, coniungentes civitatem nationemque, ambas illustrium nominum, illam illustrem Temporibus, hanc illustrem zingiberi potione sicca. Gradum Magistri Artium mox adeptus in hac natione, reversus in urbem natalem (sed in alieno, sursum tendenti, municipio), Gradum Doctoris Philosophiae meruit, antiquis scriptis Graecis editis illuminatisque. Docuit apud multas academias et universitates: in civitates claras propter incolas qui excelsiores videntur et glumas tollunt, qui placidam quietem libertati petunt et tintinnabulumque libertatis sonant. In universitate propinqua magno campo Martio belli civilis nostri, dedicavit consecravique non terram sed labores discendi, rem discipulorum, a discipulis, pro discipulis suis: ne periret disciplina nostra. Plaudamus igitur Charles Zabrowski.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 99.4 (2006)

JUDITH P. HALLETT

NICOLAS P. GROSS

Carmen popolare rogat, in lusu verborum, quid gesserit quaedam civitas, prima civitas, parvum miraculum. Hoc carmen respondet hanc civitatem gessisse vestimenta novissima, eisdem verbis nominata quae vicinam civitatem, hortis illustrem, indicent. Sed societas nostra respondet res gestas esse, classicorum studiorum sustinendorum linguaeque Latinae fovendae causa, multas et magnas, a magistris huius civitatis. Primum inter hos collegas, virum eruditum et geniale, diligentem fidumque hodie honoramus. Educatus in civitate etiam magnitudine minore, adeptus gradum Artium Baccalaurei apud universitatem in civitate pinuum, dirigendo<sup>1</sup> mirabilis, praecepit linguam Latinam in urbe celebranti nobilem Romanum qui mutavit aratrum pro toga, linguam nostram in urbe splendidissima Graeca, fonte sapientiae liberique populi, et linguas Graecam Latinamque in civitate propter dulcia alimenta formarum orthogoniarum insigni.

Tum descendit deorsum in civitatem quae esse quam videri mavult; scrutatus quomodo poetae sollerter ingenioseque persuaderent ut lectores amarent aut amarentur, obtinuit gradum Doctoris Philosophiae. Post commemorationem in civitate sideris solius, venit ad universitatem, navem ferentem vexillum, propinquam loco nostri conventus. Multum scripsit de carminibus et poetis Latinis, praecipue Nasone et epistulis feminarum fabulosarum. Maxime profuit universitati suae, huic civitati, societati nostrae (nuperrime ut praeses). Plaudamus igitur Nicolas P. Gross.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 99.4 (2006)

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> *Dirigo*. Motto of Maine.

ELAINE FANTHAM

Quintus Ennius, pater litterarum Latinarum, tria corda habere sese dicebat, quod loqui Graece et Osce et Latine sciret.<sup>2</sup> Hodie celebramus feminam similiter litteras Latinas locupletantem, similiter tria corda habentem: filiam Britanniae festivae; civem sua sponte patriae magnifice patescentis a Mari usque ad Mare, columen studiorum classicorum in nostra terra, pulchra caelis spatiosis undisque suciniis segetum. Apud universitatem venerabilem, cuius illuminatio domini est, tres gradus est adepta: gradum Artium Baccalaureae in Litteris Humanioribus, Baccalaureae Litterarum Artiumque Magistrae. Apud recentiore, latericii rubri, in urbe cuius otia Deus fecit, fiebat Doctor Philosophiae, fabula—nomine Curculionis—Plauti nostri funditus explicata. Versus occasum solis profecta, docuit primum in civitate cuius notum flumen lumen lunae illustrat, tum in provincia quae fidelis incepti permanetque, denique in civitate huius regionis, apud universitatem quae sub numine Dei viget.

Plurimos libros eruditos, plurimasque disputationes sagaces scripsit: de verbis apud scriptores rei publicae plenis translaticiae significationis; de variis operibus auctorum Romanorum, inter quos Ovidium Lucanumque Senecamque poetas, Caesarem Ciceronemque; de feminis antiquitatis classicaeque studioque Romae litterarum Romanarum. Functis multis officiis pro Societate Philologorum duarum nationum, collegas munifice servavit, nuper ut praeses. In undis aeris publicis nationis nostrae vocem quoque diserte lepideque praebuit ad disseminandam scientiam orbis antiqui Romani. Plaudamus igitur Elaine Fantham.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World 99.4 (2006)*

JUDITH P. HALLETT

HENRY BENDER

Si mihi Musa, deum limen quae ascendat ad altum,  
igne sit, nitida ingeniis et Hyantia<sup>3</sup> virgo;  
et schola pro scaena et pro actoribus ipse magister  
discipulique avide spectacula plena tuentes;  
hic vir cui nomen regum est, Iovis induat ille  
gestum; nunc cantus, libri, monumenta antiqua  
calcibus incumbant, loris ut odora canum vis<sup>4</sup>  
intentis. ignosce mihi, mitissime lector.  
edere grandiloquum caprimulgus nescio carmen:  
sic iam te immodulato<sup>5</sup> honorabo carmine, "Flector."  
prima sacerdotes Sancti mysteria linguis  
Ignati antiquis penitus te, docte, docebant;<sup>6</sup>  
et gradus est captus studiis tibi proximus illis,  
crudeles ubi saepe fremunt errantque leones;<sup>7</sup>  
Caesaris in terra magni<sup>8</sup> summum obtinuisti  
"Fluminis in Prisci Ripis" (collegia nostra)<sup>9</sup>

<sup>2</sup> Aul. Gell., *NA* 17.17.1.

<sup>3</sup> Stat. *Silv.* 2.7.8.

<sup>4</sup> Verg. *Aen.* 4.132.

<sup>5</sup> See Hor. *Ars* 263.

<sup>6</sup> At Fordham University, a Jesuit institution.

<sup>7</sup> At the Pennsylvania State University, whose mascot is the Nittany Lion.

<sup>8</sup> New Jersey is *Nova Caesarea* in Latin.

<sup>9</sup> The Alma Mater of Rutgers University.

quod sermone suo<sup>10</sup> dicebant “amnis inundat”  
 indigenae. voluit Phoebus te ducere honores,<sup>11</sup>  
 nam vates libris claros venerare—Catullum,  
 Vergilium, Flaccumque insigni laude ferebas.<sup>12</sup>  
 robur et aes triplex tibi circum pectora:<sup>13</sup> solus  
 dicat ad Italiae quotiens tu fugeris oras,  
 qui numerare undas atque Argi possit ocellos.  
 montibus in septem Romae quis nesciat ipsum  
 te quoque discipulis tristes monstrare ruinas?  
 praemia opima meres; hic pingua praemia desunt.<sup>14</sup>  
 gaudes carminibus; donare et carmina possum,  
 nam magnum docuit pretium nos dicere Flaccus.<sup>15</sup>  
 accipe versiculos igitur, mea munera, parvos.

*The Academy of Notre Dame de Namur, Villanova, Pa.* DAVID J. CALIFF  
*Classical World* 99.4 (2006)

---

<sup>10</sup> I.e., Algonquin.

<sup>11</sup> Verg. *Aen.* 5.534.

<sup>12</sup> Verg. *Aen.* 1.625.

<sup>13</sup> Hor. *Carm.* 1.3.9–10.

<sup>14</sup> See Verg. *Ecl.* 8.67.

<sup>15</sup> Hor. *Carm.* 4.8.11–12.